638 12 968

IN FVNERE ALEXANDRI PERETTI CARDINALIS MONTALTI S. R. E. VICECANCELLARII

ORATIO

FRANCISCI BRIVII E SOCIETATE IESV AD S.R.E. CARDINALES.

Habita ab eodem in Sacello Sixti V. P. M. D. Mariæ ad Niues in Exquilijs xiij. Kal. Iul. 1623.



ROMAE, Typis Alexandri Zannetti. MDCXXIII.

Imprimatur, ſi videbitur Reuerendiſsimo P. Magiſtro Sacri Palatij Apoſtolici.

A. Epiſc. Hieracen. Viceſg.

Imprimatur.

Fr. Dominicus Paulaccius Magiſter, & Socius Reuerendiſs. P. F. Nicolai Rodulfij Ord. Prædicatorum Sacri Palatij Apoſtolici Magiſtri.

ILL.^MO AC REV.^MO D. D.

FRANCISCO

ABBATI PERETTO.

FRANCISCVS BRIVIVS F.

REDDO tibi FRANCISCE ſanguine, ac ſapientia Illuſtriſſime ALEXANDRVM tuum; quem ad leniendum publici doloris æſtum, opportune in templo cæleſtibus niuibus conſecrato, mihi dederas exornandum. Non capit Montalti celſitudinem alia domus, quam domus pectoris tui, in qua ille non vrnam extincti cineris, ſed reuiuiſcentis tua per imitamenta virtutis ſedem feliciſſimam habet. Intellexi, cum primum iuſſiſti, vt hanc

ego eulgarem orationem, conſulere me debere legentium oculis quos ad erepti memoriam Principis beneficentiſſimi relapſuros in lachrymas eſſe prouidebam. Igitur collyrium nominis, ac virtutis tuæ, quæ iampridem in oculis eſt, atque in amoribus omnium, in ipſa orationis fronte propoſui: vt antequam in obſcuris laudationis meæ tenebris vere mortuum Montaltum deplorent, in indole tua magnorum decorum hærede, rediuiuum, ac ſpirantem cum gaudio contemplentur. Erunt qui leuiter delibatas à me ornatiſſimi Principis laudes, immò plurimas, ne delibatas quidem fuiſſe conquerantur. Sed horum etiam querelis occurro, dum te intuendum prius obijcio, cuius in mente Heroicum illud eminet Alexandri ſimulacrum, quod delineare neſciuit impar artificium oratoris. Tu interea ſalue, & ſimilitudine morum vt facis Romæ Montaltum viuentem adhuc vigentemq. commonſtra. Vale.

ORATIO.

ALEXANDRVM excelſi nominis; excelſiſſimæ Virtutis, Cardinalem Montaltum, laudare ne, an deflere me iubetis, Illuſtriſſimi Principes? Vtrumque officium debitum illi, neceſſarium mihi, gratiſsimum vobis, iampridem iuſtiſsimus Quiritium dolor anteuertit. Vidimus ipſi, vulgato ingratiſsimi obitus nuncio, palantes per Vrbem, eiulantium puerorum, viduarum, opificum, ciuium, cuiuſcunque ætatis, atque ordinis hominum turmas. Vidimus deſerta fora, clauſas domos, ædes, templa, vias, vicos omnes, non vt in priuato funere, ſed vt in Vrbis excidio, lamentis, & planctibus perſonantes. Vidimus alios publicæ cladem felicitatis, miſerabili clamore lugentes, alios ad proprium damnum dolore conuerſo, priuatas mœroris cauſas in communibus lachrymis obſtinato ſilentio retractantes. Videmus nunc etiam recrudeſcente ad ardẽtis huius pyræ conſpectum ſenſu doloris, vberrimos circumfuſæ multitudinis fletus, docentes non citò exareſcere lachrymas, vbi ingentia beneficia præceſſerunt. Neque verò in hoc funere tantùm lachrymati ſunt oculi, quod vſitatum eſt, ſed lingua etiam, quod eſt rarius exemplum, ſuis habuit pro lachrymis, laudes. Et quoniam interpres cordis eſt lingua, id mihi hoc initio prædicare licet de optimo Principe, quod non ſimulatis, & mentientibus, vt fit perſæpe lachrymulis, ſed intimo fuerit ploratus ex corde. O voces illas confluentis ad ſplendidum feretrum populi, ſine fuco lamentabiles. O vulnera audientium auribus, animisq. peracerba! Occidit, aiebant certatim omnes, occidit Princeps, purpuratus quidem ſibi, ſed aureus nobis? Occidit Montaltus, nunquam ſuo iudicio altior, quàm cum per omnes

beneficiorum gradus deſcenderet ad nos. Occidit Montaltus, atque ex hoc vertice poſthac ciuibus beneficus oriens non fulgebit. Occidit Montaltus, & magni ruina culminis obruit noſtræ ſolatia calamitatis. Occidit Montaltus, & huius inexhauſtæ montis viſcera, perennantes auri venas ad locupletandam pauperum inopiam in poſterum non effundent. Occidit Montaltus, & altis hiſce de montibus ſubducto munificentiæ Sole, in afflictas egentium fortunas cadunt vmbræ maiores miſeriarum. Occidit Montaltus liberalis fons pietatis, & humorem lachrymarum fruſtra offerentibus oculis defectus exaruit. Occidit Montaltus Romanæ lux purpuræ, & Sol altiſsimus præter ſpem atra mortis nube velatus præcipitauit in noctem. Sunt hi quidem eximij, nec ad ſpeciem magis, quàm ad veritatem compoſiti tituli. Sed vno ipſe complectar nomine omnia, dicamque. Occidit beneficentiæ laude Macedoni longè ſuperior Romanus Alexander. Auocate tantiſper mentem ab ingentis huius animæ præſtantia, cuius veram formam ſubijcere cogitationi non poteſtis, eiusque imaginem vel in Oratione mea, vel veſtris in lachrymis melius expreſſam intuemini. Tria ſunt, quantum ego aſſequor, quæ Alexandrum Perettum eximunt à finibus vſitatæ virtutis. Liberalitas in omnes miraculo proxima. Conſilium optimum, & lingua veritatis infractæ ſemper tenax. Auctoritatis, maieſtatiſq. tuendæ, quę Romanum decet Senatum, & Purpuram ſtudium ſingulare. Hæc à me non oratorijs colorata pigmentis, ſed nuda ſimplicis narratione veritatis exponentur. Fuerunt enim in oculis omnium, in admurmuratione frequenti, in admiratione iucunda, dum ille viueret: nunc autem cum extinctus eſt, ſatis aſpiciuntur in luctu, leguntur in laudibus, in mœrore priuato, publicoq. ad æternitatem conſignata cernuntur.

Potuit quidem magnificè ſeſe olim iactare Commodus Cæſar cum dixit, Naſcentem me imperatoria ſuſcepit purpura, ſimulq. Sol hominem me vidit, & Principem. Potuit & Montaltus cum pauciſsimis affirmare, ſe ſimul à Sole viſum fuiſſe puerum, & purpuratum. Quanquam quid ego puerum appello eum, qui ob ingentem charitatem, qua complectebatur vniuerſos in Senatum adlectus Illuſtriſſimum ſalutari iam meruerat Pater. Animaduerterat nimirum ſapientiſſimus Pontifex Sixtus haud intempeſtiuum eſſe ampliſſimi honorem ordinis Virtuti in tenera ætate maturæ, cuius non elementa cernebat, ſed culmen, atque faſtigium. Agnoſcite in ea ætatula, extremitatem munificentiæ, ſa-

pien-

pientiæque canitiem. Fuerant à Gregorio Tertiodecimo familiæ cuidam ſacræ addicta opimi Sacerdotij bona. Sublato Gregorio adit Alexandrum ab auunculo Sixto vix tum purpura redimitum aulicus, inutilis, & venalis ingenij homo, monetque in Pontificio diplomate formulam deeſſe conceptam, atque ſolemnem; ſi velit nullo negotio poſſe ipſum ad ſe redditus perampløs interuertere. Reſtitit ad hęc animę magnę puer, hominemque intuens. An tu, inquit, ab hoc virorum genere, aut laceſſitus iniuria fuiſti aliquando, aut paterno cenſu diminutus? Negantique ſubiecit; Næ igitur tu animam non bonam ſortitus es, qui hominibus nulla tibi ſua fraude obnoxijs immeritum maleficium machinaris. Abi, nunquam poſthac ad me cum hac fronte, ac genio malo reuerſurus. Audiſtis loquentem puerili ore inimicam fraudibus liberalitatem. Quàm feliciter iniectos tenero pectori ab aſſentatore nequiſsimo peſtiferos improbæ cupiditatis angues, Herculeis peiores puer inuictus diſcuſsit, ac enecauit. Quid expectatis in iuuene, quid in viro? An huius Vrbis pars vlla, an templum, an celebrioris nominis ſacellum, an religioſorum ordo virorum, an piorum hominum cœtus, an pauperum, viduarum, pupillorum, obæratorum, quacunque demum calamitate laborantium aliquis fuit, qui Alexandri beneficio vacarit? Prima incurrit in oculos Virginum pudicitia, quàm in lubrico deploratæ fortunę pelago, fluctuantem, & pene naufragam toties Montaltus aureis opum ſuarum iactis anchoris, firmauit, atque continuit. Iuuabat harum Parthenones vniuersè annua ſtipe perampla; plurimas ab omni ſpe deſtitutas, erogata ſingulis octingentorum aureorum dote quotannis aut honeſto matrimonio iungebat, aut vni viro Virginum ſponſo caſtiſſimo, Virgines caſtas exhibebat Chriſto. Intelligebat nimirum aurum, & argentum, quod ex opulentis ſacerdotijs hauriebat, dotem eſſe à ſponſis ſanguinis Chriſto, atque Martyribus Eccleſię ſponſę feliciſsimę addictam; proinde melius id impendi non poſſe, quàm dotanda puellarum inopum caſtitate. Eadem aura charitatis afflata ſunt dicatarum Deo mulierum cœnobia omnia egentiora, eadem orbati parentibus liberi ſeminudi, & lachrymabiles, eadem pueri illi errantes, & vagi, quos intra murorum ſepimenta concluſit, ac nomen impertijt antiquæ vir probitatis Litteratus.

Verum vt erat facto ad omnem nobilitatem animo, incredibili rapiebatur amore erga nobiles viros, matronasque natalibus honeſtiſſimis ortas, ſed rei familiaris anguſtijs depreſ-

ſas, ac inuolutas. Num ſatis habuit in hac Vrbe ſpectatiſsimi generis ciues fortunarum tenuitatè declinantes in tenebras, aureæ liberalitatis offuſa luce, in auito ſplendore retinere ? Num in alijs Italię Ciuitatibus primarios viros, ac fœminas titulis, atque affinitatibus claros, ſed iniqua ſorte ſpoliatos, ſua ipſe, propemodum purpura conueſtire ? Sic enim perſanctè affirmauit aliquando, detracturum ſibi libentiſſimè veſtem, vt nudum in pauperibus Regum Regem operiret. Num Polonis hominibus, quorum ille regnum conſilio patrocinabatur, & dextera, terna, & quaterna interdum aureorum millia donare ſine gratiarum pretio liberaliter oblato ? Num alios ex vltimis mundi lineis extorres, & in hanc Aulam tanquam in aſylum profugæ paupertatis aduolantes, honeſtis prouentibus ſubleuare ? Quid hæc ego pluribus perſequor, quæ publicus dolor liberalitatis cum Alexandro pene mortuæ diſertiſſimus laudator eloquitur. Dolent conſecratæ cœlo familiæ in interitu Montalti, iacturam, non auri, cui nunquam inhiarunt, ſed amoris, ac beneuolentiæ, cuius auram ſpirantes pluſquam humanam Deum, ac Diuina in populos reſpirarunt. Dolet Theatinorum Patrum cœtus religione conſpicuus, cui ſuppeditata pecunia, excitato veteris magnificentiæ templo, ad extremum moriens, cor etiam illud heroici ſpiritus, ſedem ante nobiliſsimam dedit. Dolent Minores Clerici pietate ſpectabiles, qui à Montalto coëmpta grandi ſumptu æde ad Diui Laurentij in Lucina, ad ſanctitatis perennitatem ſtabiliti ſunt. Dolent è Franciſci Flammei Parentis diſciplina charitatis ardore præſtabiles viri, quibus in Tuſculano ſuburbio, delubrum, Virgini ſine labe conceptæ dedicatum erexit, ornauitque, vt ſcilicet Montalto Tuſculanus ager, non ſolùm hortorum, ac fontium terreſtres amœnitates deberet, ſed etiam conceptæ ſine originarij criminis aculeo, Virginalis roſæ cœleſte delicium. Dolent Camaldulenſes Patres ſolitudine Cœleſtibus familiariſsima prope Tuſculi veteris parietinas fruentes, quibus Montaltus domus partem magnificam hoſpitijs adeuntium ſepoſitam extruxit, in qua tamen & loci religione, & Montalti charitate delectatus Deus ipſe, magis, quàm homines hoſpitatur. Luctum eundem ederent, ſi poſſent aræ, ſacella, templa, & nobilia, & plurima, quibus occidente Montalto, à quo donarijs ingentibus illuſtrata ſæpiſsime fuerant, heu quantum ſporati ſplendoris ademptum eſt. Quantum Lauretana domus, lateritium illud Cœlum, in hoc occaſu venturæ lucis

amiſit ?

amiſit? Quantum Franciſco in altis Apennini iugis è proximo Cœlo vulneribus ne dicam an ſyderibus Diuinis impreſſo, quantum Praxedi Heroinę caſtiſſimæ ſacra in Vrbe ædes, quantum aliæ complures ſerici, argenti, auri, margaritarum, lychnorum, periſtromatum, tabularum, ſignorum amiſerunt?

Eximiæ, in Cœlites pietati par in homines munificentia reſpondit ad numerum. Plura me ſilere, quàm dicere cogit Montalti beneficentiæ infinita fœcunditas. Vnum accipite, quia rariſsimum eſt, immò, quia frequens eſt, ſed vni Montalto frequens. Fœmina erat inops nobilitatis, & cenſus, cui ſoluendæ domus locationi aurei nummi deerant omninò quinque. Non diù cogitandum illi fuit, quonam receptum habere poſſet, vt auxiliares nummorum copias ſibi compararet. Montaltum adit, rogatque per eam liberalitatem, charitatemque, qua in omnium animis dominaretur, vt ſibi aureos quinos ædiculæ conductæ pretium completuros elargiatur; hos niſi quamprimum ipſa ſoluat, imminere ſibi quidem rei familiaris totius, quæ tamen nulla fere eſſet, direptionem, at puellis tribus, tot enim dixit nubiles habere ſe filias, pudoris exitium, hoc eſt ſummam, atque compendium ærumnarum. Puduit Alexandrum, quòd tàm parua rogaretur, & fronte nubila, reſponſoque negato libellum ſupplicem accipit, ſubſcribitque ad vota mulieris cum liberali additamento aureos quinquaginta. Digreditur illa ad menſarium, qui Montalti manu, ſignoque cognito, ſtatim quinquaginta nummos aureos numerare cœpit. Sed iubet illum ſubſiſtere mulier, ſibiq. ait, quinque tantum deberi, quod totidem poſtulaſſet à Principe, ſi plures ipſe ſcripſiſſet, erratum fuiſſe manus, & calami. Ergo menſarius cum libello ad Montaltum pergit, erroremque ſignificat, quem etiam admonet vt emendet. Emendauit ille quidem, peccatum enim ſuum putauit eſſe, quod non plura egenti mulieri adieciſſet, additaque numero priori orbiculata figura, qua centenarius numerus quinquies augebatur, quingentos aureos adſcripſit. Quid multa? Experta eſt mulier, & admirata, neque errantem, vt ipſa prius interpretabatur in ſcribendo manum, neque errantem interpretatione ſapientium in largiendo liberalitatem; quare dimiſſa ſtatim eſt quingentis aureis onuſta, à menſario palàm iurante, ſi reditum iterum fuiſſet ad Montaltum eum rotunda litterula rurſus adiecta ſummam ad quinque millia ſine dubio fuiſſe producturum. O dexteram Montalti, quàm nunquam liberalitas defatigauit, niſi cum

vel

vel ceſſare, vel beneficia non maxima fundere viſa eſt. Quamquam neque ceſſauit vnquam inquieta beneficiorum machinatrix, neque leuia vnquam munera ſparſit, quibus ampliora donandi voluntatem, inæſtimabile beneficij momentum ſemper adiunxit. Decem olim talenta petenti, quinquaginta dari iubentem Alexandrum Regem inter miracula liberalitatis repoſuit antiquitas: quam ego tamen largitatis magnificentiam in ampliſſimæ regnatore prouinciæ, in omnium victore terrarum ne ſuſpicere quidem leuiter poſſum. At Montalti beneficentia, qui ſi opes, non animum ſpectes, quamquam ſupra communem infra tamen Regiam fortunam fuit, huius inquam beneficentia, quinque aureos expoſcentem mulierculam, quingentis obruens, & propemodum totam inaurans, etſi miraculi nomen fortaſſe amittit, in hoc Principe, in quo rara, & admiranda ſunt omnia, vim tamen habet in ſe, pondusque miraculi. Voluebatur ſecularis temporum, & luſtralis criminum annus, qui poſtremus fuit, & confluente in hanc gentium patriam toto Orbe terrarum, ſodalitas cui Trinitas Auguſta Diuinum dat nomen, & mentem, vicena interdum peregrinorum millia, domo, & cibatu ſuſtentabat. Hic Montaltus, quod putaret non minus beneficentiæ, quàm clientelæ ſuæ ſodalitium illud fuiſſe commiſſum, aurea liberalitati ſuæ frena laxare, hic ſacrorum bonorum redditus, hic ſuppellectilem domus totam, hic pretioſiorem gazam, vel profundere, vel vendendam, aut oppignerandam accitis ad ſe ſodalitatis præfectis offerre. Et non exclamem. O Montalti domum ærarium totius generis humani. O montes altiſſimos, ex quibus aurifera beneficentię flumina, ad mortalium egeſtatem omnium depellendam, eluuione felici promanarunt. Hæc flumina calamos litteratorum, quibus Montalti Aula ſemper effloruit, ita irrigarunt, vt aureos etiã effecerint. Hæc argentarios, & trapezitas, quorum impedita non ſemel ſolutione ceperat exareſcere fides, priſtinæ viriditati reſtituerunt. Hæc Picenos adoleſcentes, bonarum artiũ ſtudioſos, in Bononienſi Seminario, hoc eſt in ſolo doctrinæ ſatis accipiendis aptiſſimo, in ſpẽ aureę frugis aluerunt. Loquimini vos, quorum afflictata morborum incurſionibus ſalus, ſed Alexandri munifica manu ſeruata, debet non cupreſſinam, ſed ciuicam optimo Seruatori coronam. Quoties expoſita aromatum officina, tanquam publicæ ſalutis propugnaculo vnus ipſe iacentibus vobis, & prope depoſitis, aureis, quod aiebat ille, haſtis aduerſus morbos, & mortem depugnauit, & vicit.

cit. Hoc etiam nomine Macedone maior, quod ille mortalium vitam vinci facilem ferro peremit, hic mortem ferro, atque armis inuictam, auro funerauit. Et miramur, ſi periclitante Montalti vita ſuſpirijs, & querelis armatę pauperum cateruæ, & centuriati puerorum lachrymantium ordines excubarunt, qua templa,qua compita, qua domum obſidentes, ne vitæ ſpiritus, & Alexandro ſimul, & ſibi, qui ſpiritu illo vitali reſpirabant, eriperetur. Miramur ſi ipſi etiam ſaxei cordis Hebręi homines, fumantis Hieroſolymæ, & paterno, & ſuo ſcelere obduratæ reliquiæ, imperatis ex veteri more Virginum ſuarum priuatim vlulantium threnis, atque ieiunijs donata Chriſtianis ſtipe, vt preces funderent ad Deum aſsiduas, demum victimis oculorum, lachrymis largiſſime oblatis, importunum Montalti obitum auertere conati ſunt. Glorioſum enimuerò liberalitatis Perettæ prodigium, quæ, vt olim nobilis virga in ſolitudine aquas è petra eduxerat, ſic hoc tempore fontes lachrymarum è ſaxis duriſſimis perfidæ gentis exciuit.

Facilis eſt à Montalti dextera gradus ad linguam,atq;conſilium, cuius impulſu,imperioque pia ſemper manus mouebatur.Dedecet quippe in Principe dextram operòſiorem eſſe, quàm mentem. O Montalti cōcordes,& conſonæ cum Imperatrice liberalitatis prudentia manus. Et verò quod Europæ totius Dynaſtas, ac Reges voluntatibus tam varios,immò diſtractos, atque pugnantes, quod rerum publicarum Senatores, quod Pontifices Maximos, quotquot hoc ſeculum numerauit, ingenijs ſtudijsque tam diuerſos, Montaltus, & proſpera fortuna emenſus, & felici beneuolentia demeritus ſibi arctiſſimè obligarit, quanta conſilij laus fuit? Decuit ſanè, vt qui manuum liberalitate princeps cordium erat, conſilij dexteritate cor Principum eſſet. Linguam Montalti, tanquam fidei Nūmen, aramque religionis ipſa veritas ſuſpexit, & venerata eſt. Nonne auditi fuere non pauci, qui profiterentur, ſe fidem habere ſanctiorem Montalti verbis, & ſyllabis, quàm forenſibus tabulis,quod ſcirent,poſſe has concitatis litigiorum turbinibus concuti, illa ſuæ ſtare pondere veritatis. Fidem tantam vnius hominis voci habitam fuiſſe mirati eſtis? Eſt quod augeat admirationem. Nunquam Montaltus fidem ſuam iurando ſanxiſſe perhibetur: quippe qui religionem in ipſa fide reuerebatur iuriiurando parē. Procul à limine tam ſinceræ domus exulauit adulandi lenocinium,& maledicendi libido, quod compertum eſſet ſeuero Montalti ſupercilio, tanquam fulmine percuſſas, criminoſorum

linguas non ſemel exaruiſſe. Nullæ fraudes, aut doli per ſimulationem officij in Montalti Aulam irrepſere, quæ ad *Principis* mentem compoſita, hoc eſt explicatiſsima ſemper fuit; nec alijs ſe inuolucris obtendi patiebatur animus liber, ac verè Romanus, quàm ijs, quibus illatas ſibi, vel ab externis, vel à domeſticis iniurias inuoluebat penitus, atque obliterabat. Quid illud creditorum ſibi arcanorum, æternum, & ſimillimum obliuioni ſilentium? Vt propterea Montalti animum puteum appellare ſoliti eſſent plurimi, nulla re, quàm eorum reticentia, quæ fides vulgare nō patiebatur altiùs, atque profundiùs. Quo ſanè in puteo exiſtimaſſet non falſo Democritus, ſi vixiſſet hoc ſeculo, ſapientiā hoſpitari.

Iam verò Alexandri maieſtatem, auctoritatemque in oculis, in fronte, in inceſſu, in atrienſium agmine, in deducentium pompa, in conclauibus domus, vbique ſpirantem, quæ poterit Oratio exæquare? Quàm grauis in congreſsibus? Quàm venerabilis in ſilencio? Quàm ſplendidus in habendis hoſpitio *Principibus*? Quàm in difficillimis rerum articulis præſens, & ſtante habitu vultus, & mentis æquabilis? Vidit Roma Sereniſſimos Italiæ Regulos, vidit Balnearia, in Faliſcis Villa, villarum ocellus ingens, loci nobilis, ſed Montalti munificentia nobilior, Clementem huius nominis Octauum, Cardinalium *octo* quaſi Regum corona vallatum, ſuſceptos, & habitos ab Alexandro, regio ne dicā apparatu, an apparatiſsima regia? Viderunt coacta ex Vrbani Septimi obitu comitia purpuratorum adoleſcentem octodecim annos vix explentem, ſpecioſo libertatis rigore armatū, nec vnquam aut de ſentētia deiectū, aut mutato vultus colore labantē. Quātus verò eſſe debuit ætate cōfirmata acerrimus hic Romanæ auctoritatis defenſor, qui annorum ferè rudis, & vitæ tàm ſtrenuus fuit? Teſtor eam vocem, qua *Paulo V.* Pontifici Optimo, periculoſiſsimo Chriſtianę Reipublicæ tempore, cum aureorum millia duodena in ſingulos annos, & lautiora ſuæ Aulæ ornamenta, obtuliſſet, adiecit, ſibi quidem nihil glorioſius contingere poſſe, quàm ſi profuſis ad ſartam, tectamque præſtandam Eccleſiæ auctoritatem diuitijs omnibus, vnica rheda, duobusq. tantum ſtipatus famulis, vias illas terere cogeretur, quas ante auratis curribus inuectus, ſplendido Ciuium, *Principum*que comitatu, triumphanti ſimilis colluſtraſſet. Vocem hanc ego Montalti fuiſſe dixi. Sed corrigenda mihi eſt Oratio, Auditores. Vox iſta inuictiſsimæ magnanimitatis, pietatis exuperantis, inauditæ in Vaticanum Imperium charitatis vox fuit. Horarijs precibus Deo ritè perſolutis, ſuas etiam

974

Virgini Matri preces quotidie accinebat. Sed quo corporis habitu? Qua defixæ mentis conſtantia? Neque interpellatus diſſono negotiorum ſtrepitu, neque properante lingua, emodulandum illud ad Angelorum citharas carmen recitabat. Sepoſitis eidem Virgini diebus nouem anniuerſaria celebritate ſolemnibus, manu, vt nunquam largiore, Virginem aliquam dotabat. Vt ſcilicet triumphante in Cœlo Virgine, aurea in terris ſpargeret ipſe miſſilia egenti Virginitati. Quid quod nunquam ad Balnearios illos deliciarum hortos ſecedebat, quin Virginem proximam, cui nomen à Quercu factum eſt, delicias ſuas cariores adiret? Immò nunquam adibat, vacua muneribus pulcherrimis manu, nunquam vacuo Cœleſtibus beneficijs ſinu redibat. Vnde enim fluxiſſe putamus in Alexandri animum, metum illum ſalutarem extinguendæ ſalutis, niſi ex eo, quem à tutelari Virgine hauriebat, amore ſempiternæ felicitatis. Quoties audiuerunt illum familiares pronunciantem nolle ſe coaceruando affinibus auro æternum ſibi apud inferos rogum exruere; nolle immortalis animorum arbitri iudicio vapulare, quod tertiam ſaltem ſuorum prouentuum partem, pauperibus, & pauperum Regi Chriſto non erogaſſet. Aiebat quidem tertiam ſe partem daturum moderatiſsimus in prædicandis ſuis laudibus animus, ſed moderationis impatiens in largiendo manus totum plane aſſem profundebat. Vultis hoc loco, quoniam iterum ſui prodiga liberalitas incidit in ſermonem, vt exponam ecquæ tandem fuerit ſumma laudatarum quidem ab omnibus, ſed æmulandarum à paucis Montalti, in pios, ſacroſque vſus largitionum. Nihil magis peruelit Oratio mea, quàm hiſce votis occurrere, & in Romana luce proponere beneficentiam tàm exaggeratam ad famæ perennitatem, ad imitamentum Principum, ad gratæ paupertatis ſenſum immortalem. Quantum ex priuatis rationum tabulis liquet, præter ea, quæ ſic ſparſit in pauperes, vt ſuis ipſe manibus ſecreuerit ab hominum oculis, ſupra aureorum decies centena millia Montaltus effudit. O manum Montalti, pauperum inexhauſtum, & commune patrimonium, ò nouam Antiſtitis charitatem antiquæ ſanctiſsimorum Eccleſiæ Patrum virtuti non imparem. Verum ò impoſitam miſerorum ſolatijs legem acerbiſſimam breuitatis, ò nimium annorum ſuorum auara in Principem liberaliſſimum ſecula. Vt nihil eſt immortalitate dignum, quod mors obruere, ac funeſtare non audeat. vt acerba quadam lege, breues ſemper ſunt deliciæ, amoreſq. Populi Romani. Sic-

cine

cine tumulo clauditur is, cuius domus, ærarium, cor ipſum mortalium omnium neceſſitatibus apertiſsimum fuit? Siccine iacet ille, cuius ope lapſura multorum incolumitas ſtetit? Siccine manus illa, pauperum theſaurus cœlo digniſſimus, ſepulchrali humo infoditur, & tumulatur? Siccine in puluerem, vmbramque cineream dilabitur auri optimi ſpecies decolorata? Vbi nunc es Montalte nunquam ſine præfatione auguſtiſsimæ liberalitatis nominande, vbi nunc es lachrymantium conſolator, ſoſpitator languentium, pupillorum tutor, viduarum Patrone, perditorum aſſertor, mancipatorum liberator, vitæ cuſtos, ſalutis propugnator, felicitatis auſpex, Romæ, hoc eſt nationum omnium Patriæ Pater? Miſerum me, cui quam alienæ imperauerant lachrymę vocem, proprius iam dolor intercludit. Hactenus ego immenſæ Alexandri munificentiæ rationarius, & ſupputator indiligens, ea paucis comprehendi, quæ ille magnitudine clariſſima, numero innumerabilia, pretio ſingularia, recordatione ſempiterna, in Vrbis amplitudine, in Orbis immenſitate, rogatus, non rogatus, ſine fœnoris, ſine mercedis, ſine gratiarum ſpe, diſtribuit, diffudit, diſſeminauit. Quanquam ſuperuacanea fuit, hæc ipſa incurioſæ vocis acceſſio. Iampridem enim, ipſa mœſtiſſimi obitus hora vulgatus tota Vrbe mœror, pro tua Montalte liberalium maxime beneficentia eloquentiſſimè perorauerat. Perorauerant plorantium ſuſpiria, lamentantium eiulatus, queſtus, & vociferationes eorum, qui ſe Patrem, Vindicem, Defenſorem, Præſidem, aram, arcem, lucem, ſpiritum, vitam amiſiſſe clamabant. Perorauerant compoſita ad triſtitiam compita, tecta, fora, templa, viæ ſquallentes, atque pullatæ, ipſæ etiam atratæ artificum tabernæ venalem pro mercibus dolorem, & luctum plorantibus vltrò Ciuibus exponentes. Perorauerat grauiſsimum arbitræ virtutum Romæ teſtimonium, & vox vna humani generis vniuerſi, te inter huius, & ſuperiorum ætatum liberales, vel primum, vel nemini ſecundum numerantis. Quæ ſane omnia ieiunitatem meam in tam vberi argumento, iuſta reprehenſione confoderent, niſi apertum eſſet, te vt omnium munificentiam Principum, ſic omnium eloquentiam oratorum laudum celſitudine ſuperaſſe.

Habetis ex his, Illuſtriſſimi Senatus Patres, habetis vos præſertim ex Alexandri ſanguine Excellentiſsimi Principes, formam virtutis illius, quam dolere quidem æterno fletu extinctam fere cum Montalto terrarum Orbis non recuſat, ſed in veſtris animis generoſa imitatione rediuiuam deſiderare plane

recu-

recuſat. Nimium quantum mœrendum foret huic Vrbi, ſi tam excellens liberalitatis ſpecies, in fama dumtaxat temporum, in rerum præclare geſtarum magnificentia, in linguis poſterorum victura eſſet: at è Montalti gentilibus futurus eſſet nemo, cuius in dextera pauperes, cuius in conſilio Principes, cuius in maieſtate, atque auctoritate amare poſſet Eccleſia Montaltum ſuum. Hoc in vos conuerſi lugentium Ciuium oculi, hoc paupertatis nunc verè pauperis querimoniæ, hoc plebis mæſtitudo, hoc Principum dolor, hoc Virginalis huius Baſilicæ, cuius antiquæ niues nouas tabeſcere videntur in lachrymas ſquallor iſte funereus, lenimentum mœroris certiſſimum expectat, vt viuat in poſteritate congeneri Chriſtianæ liberalitatis exemplum, Regiæ norma veritatis, Romanæ ſpecimen maieſtatis ALEXANDER.

LAVS DEO.

Sub varijs eiuſdem Cardinalis inſignibus, poſt ſolemnia verba

ALEXANDRO PERETTO
S.R.E. CARD. MONTALTO
EPISCOPO ALBANENSI
VICECANCELLARIO.

Additæ ſingulis breues Inſcriptiones ideo celebratæ, quia veriſſimæ.

IN PRIMO INSIGNI.

CVI dixiſſe feciſſe fuit

IN II.

Qui pauca locutus quia tantum vera

Cuius

IN III.

Cuius aures criminoſorum ſcopulus

IN IV.

Non plurima aggreſſo ſed ſemper eximia

IN V.

Cuius ſupra humanam vltio magnanima de vindicta vnquam ne cogitaße quidem

IN VI.

Qui plures terrarum orbes non ſubigendi ſed largiendi deſiderio complexus ſuæ facultati non liberalitati inuenire fines potuit

IN VII.

Qui amicos raros coluit, quia amicos

IN VIII.

Cuius magnanimitatem perpetui comites Maieſtas Clementia & nuda Veritas quamlibet criminationem aut machinationem ſemper auerſata teſtantur